THESES,

De ſententijs, quæ pro eo, quod intereſt, proferuntur.

AD QVAS,

Autore & Gubernatore

DEO OPTIMO MAXIMO:

Præſide & diſceptatore

CLARISS. VIRO D. D. VALENTIno Volzio, Profeſſore Academiæ Tubingenſis, Præceptore ſuo reuerenter colendo:

M. IOSEPHVS ENGELHARDVS Eppingenſis,

Publici exercitij cauſa reſpondebit, in Auditorio Iuriſconſultorum, VIII. Idus Maij, Hora VI. antemeridiana.

TVBINGÆ,

Excudebat Georgius Gruppenbachius,

M. D. LXXIX.

THESES,

De ſententijs, quæ pro eo, quod intereſt, proferuntur.

QVÆSTIO.

CVM pro eo quod intereſt cuiuſque, variæ dubitationes admodum frequentes & perquam difficiles: vtpote quarum explicatio non in Iure, ſed in facto conſiſtit, quotidie exoriantur: quidnam Iure Ciuili de ijſdem ſtatuendum ſit, inſtituta diſputatione exquirere, & initiò ſtatim in Quæſtionem vocare viſum eſt: an'ne conſtitutione aliqua, eius quod cuiuſque intereſt, exactio definita ſanciri potuerit: & an'ne iuſtis Iuris rationibus aliqua conſtituta ſit?

THESIS I.

Quod quidem & fieri potuiſſe: & rectè factum eſſe, arbitramur.

II.

Etſi verò id quod intereſt, generali notione non omnem ſolummodò vtilitatem & cauſam, ſiue ex re, ſiue extra rem emergentem: ſed etiam rem ipſam principalem complectatur: ſpeciali tamen ſignificatione ad eam acceſſionem tantùm, quæ extra rem eſt, hoc in loco pertinet.

III.

Quod nihil aliud eſt, quàm quod mihi obeſt: quantumq́ lucrari potui. "

IIII.

Cùm igitur id quod intereſt, ſit lucrum & damnum, ab ipſa re principali, imò eius etiam cauſa ſeparatum: euidenter conſtat, à noſtris malè illud in intrinſecum & extrinſecum diſtingui.

V.

Huiuſmodi verò lucri & damni in omni obligatione, non ſolùm quæ ex cõtractu vel quaſi contractu: ſed etiam quæ ex maleficio vel quaſi maleficio, naſcuntur: imò in omnibus etiam rebus, ob varias cuiuſq; negotij circumſtantias, ratio haberi ſolet.

VI.

Quamuis enim in rebus, quæ functionem in genere ſuo recipiunt, regulariter id quod intereſt, in aliquam conſiderationem venire non ſoleat: fieri tamen poteſt, vt etiam in iiſdem idipſum rectè petatur & adiudicetur.

VII.

Vnde ſi inter mercatores frumentum, vinum, vel aliud eius generis certo tempore & loco dari promiſſum ſit, debitore, vtpote qui eiuſmodi periculum ex obligationis iure in ſe ſuſcepiſſe intelligitur: ſuo facto damnum dante, vel lucrum impediente: æqui boniq; ratio exigit, rebus ita comparatis, etiam quod extra rem creditoris verè intereſt, præſtari: meritò ſanè vt hoc in caſu arbitraria actio iure conſtituta ſit.

VIII.

Quod quidem adeò verum eſt, vt etiam in numis, qui nullam planè affectionem habent: & in quibus loco eius, quod intereſſe poteſt, ob ſingularem Reipub. vtilitatem, certus vſurarum modus

con-

eſt
conſtitutus ſit, omni etiam occaſione, quæ conſtitutioni fraus fieri poſſet, penitus improbata: lucrum ademptum, & damnum datum rectè conſideretur.

IX.

Vt plurimùm verò in huiuſmodi rebus, quarum altera alterius vice fungitur, nulla eius, quod extrinſecus intereſt, habita ratione, æſtimatio quanti plurimi, quæ eſt vtilitas circa rem conſiſtens, & rei principalis æſtimationis pars aliquando fuit: & in numis vſura tantùm legitima, debetur: quæ etiam in alijs rebus, quæ in pondere, numero & menſura conſiſtunt, ſi conuenerit: aliquando etiam nudo pacto, vt in frumento, ordeo, tanquam iuſta promiſcui interuſurij compenſatio, exigi poteſt.

X.

Quòd autem diximus, in omni contractu de quauis re celebrato, eius quòd intereſt nomine, petitionem eſſe poſſe, ita accipi debet: ſi vel culpa, ſiue mora, vel dolo alterius damnum datum, vel lucrum ablatum eſt. Ex his enim, tanquam cauſa obligationis, id quod intereſt, debetur.

XI.

At verò non omne quod prætenditur damnum acceptum, vel lucrum amiſſum, vtpote longius à re ipſa ſeparatum, & in incerto poſitum: ſed id ſolùm, cui alterius factum non dubiam cauſam dedit: & quod circa rem ipſam conſiſtit, iudex adiudicare debet.

XII.

Quin imò etſi non ſolùm emergentis detrimenti: ſed etiam ceſſantis emolumenti æſtimationem id quod intereſt, in ſe continere,

 iure.

iure traditum ſit:non tamen eadem vtriuſq; ratio, præſertim culpa ſolùm in bonæ fidei contractu commiſſa, haberi debet. Nam certè eius ſemper magis intereſt, qui damnum paſſus eſt, quàm qui lucrum non fecit.

XIII.

Verùm in ſententijs, quæ pro eo quod intereſt, proferuntur, diſtinctio à noſtris tradita, videlicet, an id quod intereſt ſit commune, vel ſingulare, vel conuentionale, nullam planè conſiderationem deſiderat. Nam id ſolùm quod cuiusq; intereſſe probatur, adiudicari ſolet ac debet.

XIIII.

In omnibus autem indiſtinctè negotijs, an in quantum ex alterius facto ſua quisq; intereſſe docuerat, in tantum condemnatio: an verò iuſta aliqua eius detractio, fieri deberet, dubitationes antiquæ in infinitum producebantur. Sed Imp. ſua conſtitutione eiuſmodi prolixitatem, prout poßibile fuit, in anguſtum coarctans, ſanciuit, vt in omnibus caſibus certis, hoc quod intereſt, dupli, in quo ſimplum inſit, quantitatē minimè excedat. In incertis verò caſibus hoc ſolùm, quod reuera inducitur damnum, reddatur, &c.

XV.

Eſt autem caſus certus, qui habet certam quantitatem vel naturam: incertus, qui non habet certam quantitatem vel naturam.

XVI.

Quantitas verò certa nihil aliud eſt, quàm res principalis certa, conſiſtens vel in pondere, vel numero, vel menſura: certa natura

tura dicitur, cùm res ipſa ſuis ita finibus circumſcripta eſt, vt ab initio per ſe certum aliquod efficiat ſimplum, communemq́ aeſtimationem recipiat: ad quam, tanquam obiectum ſuum ſolum, caſus ſiue negotium contractum, ex quo id, quod intereſt, debetur, referatur.

XVII.

Qui quidem caſus certus, non tantùm in emptione & locatione, ſed in omnibus contractibus accidere poteſt: illis videlicet interuenientibus, in quibus caſus certi ſubſtantia conſiſtit.

XVIII.

Quòd ſi verò ea deſint, vel vnum ex ijs deficiat, vt ſi indemnitas ſola debeatur, quemadmodum in cautione damni infecti: item ſi quis alterius fideiuſſorem promittat indemnem: item ſi damno is apud quem res depoſita eſt, vel qui mandatum accepit, afficiatur: nullis certis terminis id quod intereſt, circumſcriptũ eſt. Quamuis in directa actione depoſiti: item mandati, caſus certus eſſe poſſit: niſi generali mandato contracto.

XIX.

Secundum quae etiam vietor, ſi dolia vel vaſa vino, vnguento, vel id genus alijs rebus conſeruandis deſtinata, vitioſa vendiderit, vel locauerit, & deinde id quod infuſum eſt, effluxerit, ad omne id, quod eo nomine perditum fuerit, quantumcunq́ ſit, tenetur: nec ignorantia eius excuſata eſt, licèt integra ea non affirmauerit.

XX.

Sic etiam faber lignarius tigna, tanquã ad aedes certas fulciendas

das vel conſtruendas , idonea vendens vel locans , ad omne id quod intereſt, tenetur: ſecus eſt ſi alius quis ligna, ſiue etiam vaſa vendat vel locet , niſi proba eſſe affirmauerit. Tum enim tenetur, etiamſi ignorauit: quia non debuit temere quæ ignorabat aſſeuerare: ſicq́ facilis eſſe ad temerariam indicationem.

XXI.

Modò lubricum linguæ ad obligationem caſus incerti eius quod intereſt, facilè non trahatur. Nam verba ſimplici ac bona mente, non alterum circumueniendi animo prolata , alicui præter expectationem periculoſa eſſe non debent. Nec veriſimile eſt, plus aliquem promiſiſſe , quàm iudicio celebrati contractus præſtare compellitur.

XXII.

Quo tamen caſu venditor vel locator actiones, ſi quas habet, aduerſus fabrum, emptori vel conductori cedere debet : niſi ipſe malit, id quod intereſt præſtare, & aduerſus ſuum auctorem agere.

XXIII.

Si verò pecus morboſum quis vendiderit , idq́ ſanum eſſe dixerit, & poſtea omnia pecora contagione morboſi pecoris perierint: id quod intereſt ſimplum ſuum ſcilicet venditi pecoris æſtimationem, egredi non poteſt: niſi pecus ad certum aliquem vſum nominatim ſit venditum.

XXIIII.

Idem quoq́ eſt ſaltu paſcuo locato, in quo, ſi herba mala naſcebatur, & ob id pecora demortua ſint, vel deteriora facta, vltra conſtitutos limites id quod intereſt, præſtari non debet.

XXV. *Res*

XXV.

Res ipſa verò principalis,ſiue eius æſtimatio,quæ in contractum deducta eſt,rectè ſimplum dicitur, ad quod in caſu certo,id quod intereſt,reſpicit,refertur & terminatur : vt in emptione totius rei pretium,quodcunq́ ab emptore datum : etiamſi læſio ſit vltra dimidium , ſimplum eſt , ad quod re euicta agitur : non verò ad aliam conſimilem rem: quamuis res per euictionem non deterior facta,offerri poßit.

XXVI.

Et quidem æſtimatio, quæ tempore contractus fuit, ſimplum eſt: quod ſemper vnum & idem permanet : eoq́ nec diminutionem nec augmentum recipit : ſi modò purè contractum ſit. Secus ſi in diem vel ſub conditione : quo caſu tempus cedentis diei vel conditionis exiſtentis,inſpicitur.

XXVII.

Quod ipſum ſimplum,in caſibus certis id quod intereſt, egredi non poteſt:in quo tamen æſtimatio quanti plurimi:(niſi eam ipſam debitor habeat.) Item augmentum,vti vocant, caſuale, non etiam fructus nec litis impenſæ: niſi is à quo res euicta eſt,auctorem ſuum etiam ex iuſta cauſa non laudauerit,computari ſolet:modò factum ſiue contumacia ipſius auctoris,ad id quod intereſt obligati,impedimento non fuerit.

XXVIII.

Adeò verò eius quod intereſt, intra principalis rei quantitatem petere iure licet,vt nihil interſit,ſiue res tota, ſiue aliqua eius pars etiam minima deficiat. Sufficit enim ſi modò vltra totius rei æſtimationem propter damnum& lucrũ amiſſum, nibil exigatur.

Secus eſt ſtipulatione duplæ interpoſita, qua ipſius rei principalis & eius quod intereſt nomine, duplicatũ pretium, vel totius rei vel partis eius euictæ, etiamſi nihil interſit, euictione ſubſecuta, tanquam euentu conditionis, ſub qua concepta fuit, & à qua pependit, ſecuto, idem ſemper exigitur.

XXX.

Sed nec temperali aliqua re euicta, vt vſufructu in vltimo anno, vel pecoribus longo iam tempore poſſeßis, id quod intereſt totius contemplatione: ſed ſolùm pro rata eius, quod per euictionem ablatum cenſetur, rectè petitur.

XXXI.

Vt autem ex legis diſpoſitione id quod cuiuſq; intereſt, rem quàm reſpicit principalem egredi non poteſt: ita quoq; pœnæ conuentionales quacunq; ratione interpoſitæ ſub competenti moderamine fieri, eoq; nec duplum regulariter excedere debent.

XXXII.

Verùm id quod intereſt in caſibus incertis determinationem nullam habet: eoq; iudex, qui cauſas dirimendas ſuſcipit, per ſuam
,, ſubtilitatem requirere debet, vt hoc quod reuera inducitur dam-
,, num, hoc reddatur: & non ex quibuſdam machinationibus & im-
,, modicis peruerſionibus in circuitus inextricabiles redigatur: ne-
,, dum in infinitum computatio reducitur, pro ſua impoßibilitate
,, cadat.

XXXIII.

Vnd etiam æquitate conſtitutionis inſpecta, prudens iudex, cui in his facti quæſtionibus æqui boniq; ratio maximè curæ eſſe debet,

etiam